

## Alte Drucke

**CATONIS || DISTICHA || MORALIA, || De præceptis uitæ  
com=||munis. ||**

**Cato, Marcus Porcius**

**Lugduni, 1540**

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150983**

3

# CATONIS DISTICHA

MORALIA,

\*

De præceptis uitæ com-  
munis.



VIRTVTE DUCE,



COMITIE MORAVIA.

APVD SEB. GRYPHIVM  
LUGDVNI,  
1540.

P R A E F A T I O A V  
T O R I S C V M B R E V I S -  
S I M I S P R A E C E -  
P T I S .  
\*



V M animaduerterem, quām plū-  
rīmos homines errare graūiter in  
uia morum: succurrendum, & con-  
fusendum opinioni eorum existi-  
maui, maxime ut gloriose uiuerent,  
& honorem contingenter. Nunc te fili charissime  
docebo, quo pacto mores animi tui componas.  
Igitur mea præcepta ita legito, ut intelligas. Legere  
enīm, & non intelligere, negligere est.

Itaq; Deo supplica. Parentes ama. Cognatos  
cole. Magistrum metue. Datum serua. Foro te  
para. Cum bonis ambula. Ante, quām uoceris,  
ad consilium ne accesseris. Mundus esto. Saluta  
libenter. Maiori cede. Minorī parce. Rem tuam  
custodi. Verecundiam serua. Diligentiam adhi-  
be. Libros lege. Quos legeris memento. Famī-  
liam cura. Blandus esto. Irasci ab re noli. Nemī-  
nem irriseris. Mutuum dato. Cui des uideto. Iu-  
dicio adesto. Conuiuare raro. Quod satis est  
dormi. Iusjurandum serua. Vino te tempera.  
Pugna pro patria. Nil temere credideris. Tu te  
consule. Meretricem fuge. Literas disce. Nil  
mentiri debes. Bonis benefacito. Maledicus ne-  
esto.

esto. Existimationem retine. Aequum iudica.  
Parentes patientia uince. Beneficij accepti memor  
esto. Ad prætorium statu. Consultus esto. V te-  
re uirtute. Iracundiam tempera. Trocho lude.  
Aleas fuge. Nihil ex arbitrio virium feceris. Mi-  
norem te ne contempseris. Aliena concupiscere  
noli. Coniugem ama. Liberos erudi. Pa-  
tere legem, quam ipse tuleris. Pau-  
ca in conuiuio loquere. Illud  
stude, quod iustum est.  
Libenter ferto a-  
morem.

A 2

CATONIS DI  
STICHO RVM DE  
MORIBVS LI  
BER PRI-  
MVS.  
\*

Dei cultus præcipius.



I Deus est animus, nobis ut car-  
mina dicunt,  
Hic tibi præcipue sit pura men-  
te colendus.

Somnolentia uitanda.

Plus uigila semper, nec somno  
deditus esto:

Nam diuturna quies uitis alimenta ministrat.

Cohibenda lingua.

Virtutem primam esse puta, compescere linguam:

Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.

Sibi ipsi conueniendum.

Sperne repugnando, tibi tu contrarius esse:

Conueniet nulli, qui secum dissidet ipse.

Nemo temere culpandus.

Si uitam inspicias hominum, si denique mores,

Cum culpes alios, nemo sine crimine uiuit.

Vtili

L I B E R . I.

Vtilitas diuitijs anteponenda. 6

Quæ nocitura tenes, quamuis sint chara, relinque;  
Vtilitas opibus præponi tempore debet.

Mores pro tempore mutandi. 7

Constans & lenis, ut res expostular, esto:  
Temporibus mores sapiens sine criminè mutat.

Vxori non semper assentiendum. 8

Nil temere uxori de seruís crede querentí:  
Sæpe etenim mulier, quem coniunx diligit, odit.

Instandum correctioni amici. 9

Cumq; mones aliquem, nec se uelit ipse moneri:  
Si tibi sit charus, noli desistere cœptis.

Stulti uerbis non uincuntur. 10

Contra uerbosos noli contendere uerbis:  
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

Amicus sibi quisq; primus. 11

Dilige sic alios, ut sis tibi charus amicus:  
Sic bonus esto bonis, ne te mala damna sequantur.

Rumores spargere uetitum. 12

Rumores fuge, ne incipias nouus autor haberi:  
Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse loquutum.

Fides aliena non promittenda. 13

Rem tibi promissam certò promittere noli:  
Rara fides, ideo, quia multi multa loquuntur.

A 3 Iudex

C A T O N I S

Iudex quisque sui.

14

Cum te quis laudat, iudex tuus esse memento:

Plus alijs de te, quam tu tibi credere noli.

Beneficiorum ratio.

15

Officium alterius, multis narrare memento:

Atque, alijs cum tu beneficeris, ipse sileto.

Senio bene gesta referre.

16

Multorum cum facta senex, & dicta recenses:

Fac tibi succurrant, iuuenis quae feceris ipse.

Suspitionis labes.

17

Ne cures, si quis tacito sermone loquatur:

Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici.

In prosperis de aduersis cogitandum.

18

Cum fueris felix, quae sunt aduersa cauento:

Non eodem cursu respondent ultima primis.

Mors alterius non speranda.

19

Cum dubia & fragilis sit nobis uita tributa,

In morte alterius spem tu tibi ponere noli.

Animus in dono estimandus.

20

Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus:

Accipito placide, & plene laudare memento.

Paupertatis tolerantia.

21

Infantem nudum cum te natura crearit,

Paupertatis onus patienter ferre memento.

Mors

L I B E R   I .

Mors non formidanda.

22

Ne timeas illam, quæ uitæ est ultima finis:

Qui mortem metuit, quod uiuit, perdit id ipsum.

Amicorum ingratitudo fugienda.

23

Si tibi pro meritis nemo respondet amicus,

Incusare Deum noli, sed teipse coerce.

Frugalitas.

24

Ne tibi quid desit, quæfatis utere parce:

Vtq; quod est, serues, semper tibi deesse putato.

Promissio iterata molesta.

25

Quod præstare potes, ne bis promiseris ulli.

Ne sis uentosus, dum uis urbanus haberis,

Ars arte deludenda.

26

Qui simulat uerbis, nec corde est fidus amicus,

Tu quoque fac simile, sic ars deluditur arte.

Blandiloquentia suspecta.

27

Noli homines blando nimium sermone probare:

Fistula dulce canit, uolucrem dum decipit aucepis.

Liberi artibus instruendi.

28

Cum tibi sint nati, nec opes: tunc artibus illos

Instrue, quo possint inopem defendere uitam.

Res quomodo æstimandæ.

29

Quod uile est, carum, quod carum est, uile putato:

Sic tibi nec parcus, nec auarus habeberis ulli.

A   4      Culpata

## C A T O N I S

*Culpata non facienda.*

30

*Quæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse:*

*Turpe est doctori, cùm culpa redarguit ipsum.*

*Concedenda petenda.*

31

*Quod iustū est, petitō, uel quod uideatur honestū:*

*Nam stultū est petere id, quod possit iure negari.*

*Nota ignotis non commutanda.*

32

*Ignotum tibi tu noli præponere notis.*

*Cognita iudicio constant, incognita casu.*

*Dies quisq; supremus putandus.*

33

*Cùm dubia incertis ueretur uita periclis,*

*Pro lucro tibi pone diem, quicunque laboras.*

*Obsecundandum amicis.*

34

*Vincere cùm possis, interdum cede sodali;*

*Obsequio quoniam dulces uincuntur amici.*

*Amicitia mutua officia.*

35

*Ne dubites, cùm magna petas, impendere parua.*

*His etenim rebus coniungit gratia charos.*

*Amicitia rixas odit.*

36

*Litem inferre caue, cum quo tibi gratia iuncta est:*

*Ira odium generat, concordia nutrit amorem.*

*Caſligatio ſine ira.*

37

*Seruorū ob culpam, cùm te dolor urget in iram,*

*Ipſe tibi moderare, tuis ut parcere possis.*

Patiens

L I B E R I I.

Patientia uincere.

38

Quem superare potes, interdum uince ferendo.

Maxima enim morum semper patientia uirtus.

Quæsita sunt conseruanda.

39

Conserua potius quæ sunt iam parta labore.

Cùm labor in damno est, crescit mortalis egestas.

Consulendum sibi in primis.

40

Dapsilis interdum notis, charis, & amicis,

Cùm fueris felix, semper tibi proximus esto.

C A T O N I S D I -

S T I C H O R V M D E M O

R I B V S L I B E R

S E C V N -

D V S .

P R A E F A T I O .

Elluris si forte uelis cognoscere cultus,

Vergilium legit: quod si mage nosse laboras

Herbari uires, Macer tibi carmine dicet,

Si Romana cupis, & Punica noscere bella,

Lucanum quæras, qui Martis prælia dicet.

Si quid amare libet, uel discere amare legendo,

Nasonem petito. Sin autem cura tibi hæc est

Vt sapiens uiuas, audi, quod discere possis,

A 3 Per

C A T O N I S

Per quæ semotum uitij traducitur æuum.  
Ergo ades, & quæ sit sapientia, disce legendo.

De omnibus bene merendum.

I potes, ignotis etiam prodesse memento.  
SVtilius regno, meritis acquirere amicos.

Arcana non scrutanda.

Mitte arcana Dei, cœlumq[ue] inquirere quid sit,  
Cùm sis mortalís , quæ sunt mortalia cura.

Mortis timor gaudia pellit .

Linque metū lethi: nā stultum est tēpore in omni,  
Dum mortem metuís , amittere gaudia uitæ.

Iracundia cauenda.

Iratus de re incerta contendere noli;

Impedit ira animum, ne possit cernere uerum.

Expendendum ubi opus est.

Fac sumptum propere, cùm res desiderat ipsa.  
Dādū etenim est aliquid,cū tēpus postulat,aut res.

Humilis fortuna tutior.

Quod nimiū est,fugito:paruo gaudere memeto.  
Tuta mage est puppis,modico quæ flumē fertur.

Occulta uitia reticenda.

Quod pudeat,socios prudens celare memento:  
Ne plures culpent id,quod tibi displicer uni.

Occulta

L I B E R    I I .

Occulta tandem reuelantur.

8

Nolo putes prauos homines peccata lucrari.

Temporibus peccata latent, & tempore parent.

Imbecillitas uirtute compensatur.

9

Corporis exigui uires contemnere noli.

Confilio pollet, cui uim natura negauit.

Cedendum pot entiori ad tempus.

10

Quem scieris non esse parem tibi, tempore cede:

Victorem à uiecto superari sæpe uidemus.

Rixandum cum familiaribus non est.

11

Aduersus notum noli contendere uerbis.

Lis minimis uerbis inter dum maxima crescit.

Futura non querenda sorte.

12

Quid Deus intendat, noli perquirere sorte.

Quid statuat de te, sine te deliberat ipse.

Luxus odium generat.

13

Inuidiam nimio cultu uitare memento:

Quæ si non laedit, tamē hanc sufferre molestū est.

Animus non deponendus ob iniquum iudicium.

14

Esto animo fortis, cùm sis damnatus inique:

Nemo diu gaudet, qui iudice uincit iniquo.

Reconciliatis lis non refricanda.

15

Litis præteritæ noli maledicta referre.

Post inimicitias iram meminisse malorum est.

Tcipsum

C A T O N I S

T ei psum neq; lauda neq; culpa. 16

Nec te collaudes, nec te culpaueris ipse.

Hoc faciunt stulti, quos gloria uexat inanis.

Par simonia. 17

V tere quæfitis modice, cùm sumptus abundat.

Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.

Supercilium nonnunquam deponendum. 18

In sibiens esto, cùm tempus postulat aut res:

Sultitiam simulare loco, prudentia summa est.

Neque prodigus, neque auarus. 19

Luxuriam fugito, simul & uitare memento

Crimen auariciæ, nam sunt contraria famæ.

Loquaci parum credendum. 20

Noli tu quædam referenti credere semper.

Exigua est tribuenda fides, qui multaloquuntur.

E brios uinum non accuset. 21

Quod potu peccas, ignoscere tu tibi noli:

Nam nullum crimen uini est, sed culpa bibentis.

Amicis consilia credenda. 22

Consilium arcanum tacito committe sodali.

Corporis auxilium medico committe fideli.

Successus malorum ne te offendat. 23

Noli successus indignos ferre moleste.

Indulget fortuna malis, ut lædere possit.

Prouide

L I B E R    I I .

*Prouiide futuros casus.*

24

Prospice qui uenient hos casus esse ferendos.

Nam leuius laedit, quicquid praeuideris ante.

*Animus in aduersis spe fouendus.*

25

Rebus in aduersis animum submittere noli.

Spem retine: spes una hominē nec morte relinquit.

*Opportunitas cum contin git tenenda.*

26

Rem tibi quam noscīs aptam, dimittere noli.

Fronte capillata, post hæc occasio calua.

*Futura ex præteritis colligenda.*

27

Quod sequitur, specta: quodq; imminet, ante uideto.

Illum imitare Deum, qui partem spectat utrancq;.

*Vite ratio habenda.*

28

Fortius ut ualeas, interdum parcior esto.

Pauca uoluptati debentur, plura saluti.

*Multitudini cedendum.*

29

Iudicium populi nunquam contempseris unus.

Ne nulli placeas, dum uis contemnere multos.

*Valetudo curanda.*

30

Sit tibi præcipue, quod primum est, cura salutis:

Tempora ne culpes, quum sis tibi causa doloris.

*Somnia non obseruanda.*

31

Somnia ne cures, nam mens humana quod optat,

Cum uigilat sperans, per somnum cernit idipsum.

C A T O N I S D I -  
S T I C H O R V M D E  
M O R I B V S L I =  
B E R T E R =  
T I V S .

P R A E F A T I O .



Oc quicunque cupis carmen cognoscere lector,  
Hæc præcepta feres, quæ sunt gratissima uitæ.

Instrue præceptis animum, nec discere cesses:  
Nam sine doctrina, uita est quasi mortis imago.  
Commoda multa feres, finautem spreueris illud,  
Non me scriptorem, sed te neglexeris ipse.

R e c t e agendo linguam ne timeas.

C Vm recte uiuas, ne cures uerba malorum.  
C Arbitrii nostri non est, quid quisq; loquatur.  
Amici crimen celandum.

Productus testis, saluo tamen antè pudore,  
Quantumcunque potes, celato crimen amici.

Blandiloquentia suspecta.

Sermones blandos, blæsosq; cauere memento;  
Simplicitas ueri, sana est, fraus ficta loquendi.

Ignaua

L I B E R    I I I .

*Ignava uita fugienda.*

4

*Segnitiem fugito, quæ uitæ ignauia fertur.*

*Nam cùm animus lāguet, cōsumit inertia corpus.*

*Animus fessus relaxandus.*

5

*Interpone tuis interdum gaudia curis.*

*Vt possis animo quemuis sufferre laborem.*

*Malo animo neminem reprehendas.*

6

*Alterius dictum aut factū, ne carperis unquam,*

*Exemplo simili ne te derideat alter.*

*Hæreditas augenda.*

7

*Quæ tibi fors dederit, tabula suprema notato,*

*Augendo serua, ne sis quem fama loquatur.*

*Senectus sit munifica.*

8

*Cùm tibi diuitiæ superant in fine senectæ,*

*Munificus facito uiuas, non parcus amicis,*

*Verba attendenda, non os loquentis.*

9

*Vtile consilium dominus ne despice serui.*

*Nullius sensum, si prodest, tempseris unquam.*

*Præsenti utendum fortuna.*

10

*Rebus, & in censu, si non est quod fuit ante,*

*Fac uiuas contentus eo, quod tempora præbent.*

*Vxor spē dotis non ducenda.*

11

*Vxorem, fuge, ne ducas sub nomine dotis,*

*Nec retinere uelis, si cœperit esse molesta.*

Alienō

C A T O N I S

Alieno sapere exemplo.

12

Multorum disce exemplo, quæ facta sequaris,  
Quæ fugias. uita est nobis aliena magistra.

Nihil ultra uires.

13

Quod potes, id tentes: operis ne pondere pressus  
Succumbat labor, & frustra tentata relinquas.

Consentire uidetur, qui tacet.

14

Quod nosti haud recte factum, nolito tacere,  
Ne uideare malos imitari uelle, tacendo.

Rigor fauore temperandus.

15

Iudicis auxilium sub iniqua lege rogato.

Ipsæ etiam leges cupiunt, ut iure regantur.

Feras, que tua culpa pateris.

16

Quod merito pateris, patienter ferre memento:

Cumq[ue] reus tibi sis, ipsum te iudice damna.

Multa legenda, sed cum iudicio.

17

Multa legas facito, perfectis perlege multa.

Nam miranda canunt, sed non credenda poëtæ.

Modeste in conuiuio loquendum.

18

Inter conuiuas fac sis sermone modestus,

Ne dicare loquax, dum uis urbanus haberí.

Iracundia uxorum non formidanda.

19

Coniugis iratæ nolito uerba timere:

Nam lacrymis struit insidias, dum foemina plorat.

Quæsitis

L I B E R . I I I I .

Quæsitis utendum non abutendum.

20

Vtere quæsitis, sed ne uidearis abuti.

Qui sua consumunt, cum deest, aliena sequuntur.

Mors non formidanda.

21

Fac tibi proponas mortem non esse timendam:

Quæ bona si non est, finis tamen illa malorum est.

Vxor proba, si loquax ferenda.

22

Vxoris linguam, si frugi est, ferre memento.

Nanc̄ malum est, nil uelle pati, nec posse tacere.

Pietas erga parentes.

23

Dilige non ægra charos pietate parentes.

Nec matrem offendas, dum uis bonus esse parenti.

C A T O N I S D I -

S T I C H O R V M D E M O -

R I B V S , L I B E R

Q V A R T V S .

P R A E F A T I O .

**S**ecundum quicunque cupis traducere  
uitam, Nec uitij hærere animum, que mo-  
ribus obsunt,

Hæc præcepta tibi semper relegenda memento.

B Inuenies

C A T O N I S

Inuenies aliquid, in quo te uitare magistro.

Diuitiarum contemptus.

D Espice diuitias, si uis animo esse beatus:  
Quas qui suspiciunt, mendicant semper auari.  
Viuere ad naturam optimum.

Commoda naturae nullo tibi tempore deerunt,  
Si contentus eo fueris, quod postulat usus.

Res ratione regendæ.

Cùm sis incautus, nec rem ratione gubernes,  
Noli fortunam, quæ non est, dicere cæcam.

Amor pecunia ad usum.

Dilige denarium, sed parce dilige formam,  
Quam nemo sanctus, nec honestus captat habere.

Valeudini ne opibus parcas.

Cùm fueris locuples, corpus curare memento:  
Aeger diues habet nummos, sed non habet ipsum.

Castigatio paterna ferenda.

Verbera quum tuleris discens aliquando magistrum:  
Fer patris imperium, quum uerbis exit in iram.

Certa & utilia agenda.

Res age quæ prosunt: rursus uitare memento  
In quibus error inest, nec spes est certa laboris.

Dona libenter, quod potes.

Quod donare potes, gratis concede roganti.

Nam recte fecisse bonis, in parte lucrorum est.

Suspi

L I B E R O I I I I .

*Suspicio statim expedienda.*

Quod tibi suspectum est, cōfestim discute, quid sit:

Nanque solent, p̄mō quae sunt neglecta, nocere.

*Venus abstinentia cohibenda.*

10

Cūm te detineat Veneris damnsa uoluptas,

Indulgere gulæ noli, quæ uentris amica est.

*Homo malus ferā pēfīma.*

11

Cūm tibi proponas animalia cuncta timere;

Vnum hominem tibi p̄cipio plus esse timendū.

*Sapientia fortitudini p̄ferenda.*

12

Cūm tibi p̄xualidæ fuerint in corpore uires,

Fac sapias, sic tu poteris uir fortis haberi.

*Amicus cordis ægri medicus.*

13

Auxilium à notis petito, si forte laboras.

Nec quisquā melior medicus, quām fidus amicus.

*Sacrificium spiritus contribulatus.*

14

Cūm sis ipse nocens, moritur cur uictima pro te?

Scultitia est morte alterius sperare salutem.

*Amicus ex moribus diligendus.*

15

Cūm tibi uel socium uel fidum quæris amicum,

Non tibi fortuna est hominis, sed uita petenda.

*Avaritia uitanda.*

16

Vtere quæsitis opibus, fuge nomen avari.

Quid tibi diuitiae prosunt si pauper abundas?

B 2 Volup

C A T O N I S

Voluptas inimica famæ.

17

Si famam servare cupis, dum uiuis, honestam,

Fac fugias animo, quæ sunt mala gaudia uitæ.

Senem etiam delirum ne irrisceris.

18

Cùm sapias animo, noli irridere senectam.

Nam quicunq; senex, sensus puerilis in illo est.

Opes fluxæ, ars perpetua.

19

Disce aliquid, nam cùm subito fortuna recedit,

Ars remanet, uitamq; hominis non deserit unquæ.

Mores ex uerbis cogniti.

20

Perspicio tecum tacitus, quid quisque loquatur.

Sermo hominum mores & celat, & indicat idem.

Ars usu iuuanda.

21

Exerce studium, quamuis percepis artem.

Vt cura ingenium, sic & manus adiuuat usum.

Vitæ contemptus.

22

Multum ne cures uenturi tempora fati.

Non timet is mortem, qui scit contemnere uitam.

Discendum & docendum.

23

Disce, sed à doctis, indoctos ipse doceto,

Propaganda etenim rerum doctrina bonarum.

Bibendi ratio.

24

Hoc bibe quod possis, si tu uis uiuere sanus.

Morbi causa mali est homini quandoq; voluptas.

Ne

quido V

L I B E R . I I I I .

Ne damnes, quod probaueris. 25

Laudaris quodcunq; palam, quodcunq; probaris,  
Hoc uide ne rursus leuitatis criminē damnes.

Circunspectus in utraque fortuna. 26

Tranquillis rebus quæ sunt aduersa caueto.  
Rursus in aduersis melius sperare memento.

Studio crescit sapientia. 27

Discere ne cesses, cura sapientia crescit.  
Rara datur longo prudentia temporis usu.

Parce laudato. 28

Parcè laudato, nam quem tu sœpe probaris,  
Vna dies, qualis fuerit, monstrabit, amicus.

Discere ne pudeat. 29

Ne pudeat, quæ nescieris, te uelle doceri,  
Scire aliquid laus est, pudor est nil discere uelle.

Rebus utendum ad sobrietatem. 30

Cum Venere & Baccho lis est, & iuncta uoluptas,  
Quod lautū est, animo complectere, sed fuge lites.

Tristibus & Tacitis non fidendum, 31

Demissos animo tacitos, uitare memento.

Qua flumen placidum est, forsan latet altius unda.

Sors sorti confrenda. 32

Cum tibi dispiceat rerum fortuna tuarum,

Alterius specta, quo sit discrimine peior.

B 3 Vltra

C A T O N I S

Vltra uires nihil aggrediendum.

33

Quod potes, id tenta: nam littus carpere remis.  
Tutius est multo, quām uelum tendere in altum.

Cum iusto inique non contendendum.

34

Contra hominem iustum prauè contendere noli,  
Semper enim Deus iniustas ulciscitur iras.

Fortuna utraque & que ferenda.

35

Ereptis opibus noli gaudere merendo,  
Sed gaude potius, tibi si contingat habere.

Ab amico quid ferendum.

36

Est iactura grauis, quae sunt, amittere dannis.

Sunt quædam quæ ferre decet patienter amicum.

Tempori non confidendum.

37

Tempora longa tibi noli promittere uitæ.

Quocumq; ingrederis, sequitur mors corporis umbra.

Deus quibus placandus.

38

Thure Deum placa, uitulum sine crescat aratro.

Ne credas placare Deum, dum cæde litatur.

A' potentioribus læsus, disimula.

39

Cede locum læsus fortunæ, cede potenti.

Cedere qui potuit, prodesse aliquando ualebit.

Castiga te ipsum.

40

Cum quid peccaris, castiga teipse subinde:

Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.

Amicus

LIBER II.

Amicus mutatus non uituperandus. 41

Damnaris nunquā, post longū tempus amicum:  
Mutauit mores, sed pignora prima memento.

Beneficiorum collatio attendenda. 42

Gratior officijs quo sis mage, charior esto.  
Ne nomen subeas, quod dicitur officiperda.

Suspitionem tolle. 43

Suspectus, caueas, ne sis miser omnibus horis:  
Nam timidis & suspectis aptissima mors est.

Humanitas erga seruos. 44

Cùm fueris seruos proprios mercatus in usus:  
Et famulos dicas, homines tamen esse memento.

Occasionem rei commodæ ne prætermittas. 45

Quàm primum rapienda tibi est occasio prima,  
Ne rursus quæreras, quæ iam neglexeris ante.

Non lètandum de repentina obitu. 46

Morte repentina noli gaudere malorum.  
Felices obeunt, quorum sine crimine uita est.

Pauper simulatum uitet amicum. 47

Cùm coniunx tibi sit, nec res, & fama laboreti,  
Vitandum ducas inimicum nomen amici.

Iuge studium. 48

Cùm tibi contingat studio cognoscere multa,  
Fac discas multa, uites nescire doceri.

Breuitas

CATONIS LIBER IIII.

Breuitas memorie amica.

49

Miraris uerbis nudis me scribere uersus?

Hos breuitas sensus fecit coniungere binos.

FINIS.

FRANCESCO STIFFORUM